tione. ius sit sibi praeses beatum mennem de carcere praesentari. Cumque fuisset adductus. adiutor commentariensium dixit ad beatum mennam. Ecce nunc examinandus adsistis. praeses autem dixit adiutori. Require ab eo cur reliquerit militiam suam. aut unde fuerit uel unde sit reuersurus. Respondit beatus mennas dicens. Ego egyptius sum. etiam pridem dixi quia propter dilectionem dni mei ihu xpi reliqui militiam istam quae soluitur. nam regnum dni manet incorruptum in saecula et uolui cum feris heremum habitare. quam in medio uestrum perire. ferae enim dm cognouerunt et honorauerunt. Uos autem demonia honoratis. creatorem enim uestrum impie abnegatis. Discessi itaque ne uestro interessem errori. quia scriptum est. ne perdas cum impiis animam meam. et cum uiris sanguinum uitam meam. Dicit ei praeses. sacrifica diis ut euadas omnia quae tibi praeparata sunt tormenta. pro eo quod contemnis principum iussa. et deseruisti militiam tuam confitendum te esse xpianum. Itaque consule tibi et sacrifica diis et recipies militiam tuam. et honores alios consequeris. beatus mennas dixit. Ego oro dnm meum ihm xpm regem omnium saeculorum ut ipsi placeam. et ab eo honorem accipiam quatenus scam eius ciuitatem ingrediar. Uestros autem honores uobiscum perituros omitto. Tunc preses uidens constantiam eius. dixit ministris. tendite eum in stipitem. et caedite neruis taurinis. dicentes ei. quoniam militanti praecepta imperatoris renuere non licet. Beatus mennas dixit. magnum mihi est pro dno meo ihu xpo quoniam aderit mihi pro nomine eius pati. uobis autem gehenna parabitur. ministris uero diaboli caedendi eum uirtute cedentibus. repleta est in circuitu eius sanguine terra. Adstans pigasius princeps dixit sco martyri. homo. sacrifica diis antequam carnes tuae defluant tormentis quae tibi parantur. Beatus mennas dixit. non me terrent minae tuae quae dicis. habeo enim auxiliatorem meum ihm xpm sicut scriptum est.

Dns mihi adiutor est non timebo quid faciat mihi homo. Imitator tenebrarum sacrilegii persuasor. quia presidi tuo non adquieui ampliora tormenta promittis. Denique ut dixi dm habeo adiutorem dieb. ac noctib. In cuius nomine confido et tormenta que subiungis mihi in refrigerium conuertuntur. que uos cruciabunt cum principibus uestris in diem iudicii. quoniam coegistis seruum eius desistere a dno meo et sacrificare idolis uris. Praeses dixit ministris. Nec adhuc potuimus uincere duritiam illius. At uero beatus martyr xpi mennas appensus in ligno. dixit. per poenas quae apud me paruae sunt arbitraris me praeses a proposito meo reuocari. aut nescis quia milites imperatoris mei mihi adstantes custodiunt me. et confortant quousque coronam accipiam a dno meo ihu xpo. Praeses dixit ministris. Trucidate eum dicentes illi. Cum hos imperatores habeas. cur fateris te alterum imperatorem habere. Beatus mennas dixit. miser es et deiectus. quia nescis dnm caeli et terrae. et blasphemas eum qui hominem fecit. et dedit illi gratiam credendi in filio suo dno meo ihu xpo. Praeses dixit. quis est iste magnus rex quem dicis. quia ipse omnia fecerit et dominatur omni mundo. Beatus mennas dixit. Dns noster ihs xps filius diuini. ipse est auctor omnium et creator. ipsi caelestia et terrestria subiecta sunt. Praeses dixit ad eum. Nescis quia imperatores nostri indignantur de isto homine qui dicitur xps. Ideoque confidenter in eos ipsos praeceperunt subire tormenta. et tu ab hoc homine non recedis. Beatus mennas dixit. Imperatores uestri irascuntur propter nomen dni mei. sed ego oro illum ut mihi propitius sit. et eripiat a concilio malignantium animam meam. Praeses dixit. et scit xps uester quia haec passuri eratis. Beatus mennas dixit. scit quia omnia ipse construit. et solus ipse archana praeuidet et futura cognoscat quid dedit nobis in mandatis eius docens. ut unusquisque nostrum animam suam pro nomine eius ponat dicens. qui odit animam suam propter me. in uitam aeternam custodiet.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen

Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation

Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_846/0276